



Josephit, und andere Carmina Vol. II.

A. N. 75. Quart.

4.
Ca
8.9
9.8
10.6
Ca
14.
15.
16.
Ca
20.
21.
2.



NOVIS MARITIS
DN. CHRISTIANO SCHRÖDERO
ET
ANNÆ BENIGNÆ SCHENINGIÆ
E
MONTE-REGIO
FAUTORES ET AMICI.
FAUSTA PRECANTUR.

E





SChröder corusco fidere pulcrior,
Musæ corollas nectere cui student,
Tuq; his placere edocte sororibus,
Quæ digna mentis laus erit entheæ?
Quæ fronte digna est laus tua candidâ?
Te sponsa mallet quàm Andromachæ He

(ctorem,
Præfert alumnis Teq; suis Thetis.
Delosq; victum spernet Apollinem,
Te visò; & alnum Gnosia Liberum.
Tu, cum pererras Occiduas plagas
Sive æstuosi Nimbiferas Noti,
Terrasq; Eoas: mente Prometheus
Tu scis sagaci cuncta requirere.
Tu splendor ingens Aonii chori,
Tu qui sacris Permesidos imbribus
Es irrigatus, qui patriæ decus

Et



Et spes futuræ posteritatis es.
Mens ârduis Te destinataufibus,
Clarumq; gestit reddere Carmine.
Thalia, vectô ad sidera nomine.
Beata quæ Te nunc faciet Virum,
Seseq; castis junget amoribus!
Te, cui beato blandula jungitur,
Nuptæ Parentis mystica dogmata,
Fallor? solent quæ flectere pectora,
Virtusq; Amatæ vivida & inclyta
Illas amoris subdere flammulas
Visa: an fateris? Auspiciis bonis!
Sacrum ligamen Cœlica Numina,
Nectunt; feret cui suppetias amor.
Vos ô beati consociamini.
Nexû! benignô depluat æthere
Summus JEHOVAH prospera quælibet.!

Ita ὁλοψύχως vover

Sigismundus Pichlerus,

P. P.



Ad pl. Reverendum atq; Excellentiss: Do-
minum M. Fridericum Scheningium Ecclesiastem
Templi Paroch: Gedanensis meritissimum, Affinem
atq; Promotorem honoratis.

Illud amicitiae, quo me, carumq; Parentem
Jam pridem, multum **VIR VENERANDE** colis
Me jubet, ut gratiore colam Te corde, Tuisq;
Nunc quoq; letitiis paucula metra canam.

Das nuptum Natam, (Ceptis Deus annuat almus!)
Juno, Venus, Pallas, quam poliere Dea.

Das sponsam sponso, quem Virtus, Arsq; Themisq;
Nobilitat, varys condecoratq; modis.

Hinc precor, istius sacri novae fœdera Lecti
Orta Deo, vigeant, Teq; diu exhilarent.

Sint maiora, que atq; dum queis fortuna nocere;
Eveniant Thalamo prospera quaq; pio.

Omnipotens casti Deus Auctor & Altor amoris
Faxit, ut hic longo tempore duret amor

Nec careat fructu: Sed Mater ut audiat illa
Felix formosa prole sit ille Pater!

Quodq; caput Voti est: Vitæ post fata caduca
Sponsis concedat calica Regna **DEUS!**

Debiti honoris atq; amoris ergo
Lectissimo pari vovet

M. Conradus Newfeldt Scholæ
Cathedr. Regism. Rector.



In Nuptias

Schroëdero-Scheningianas.

CHRISTIANUS SCHROEDERUS.

Anagram:

HEROS DISERTUS: HINC CARUS.

Ἡρώδης Heroicum.

CEdant arma togæ; Concedat laurea linguæ
Nostrati, quondam Grajæ velut, Auso-
niæq;.

Martia Corda Canant alij, pomœria nostra
Propugnare suo quæ non dubitâre cruore,
Balthica nec trepidè tutari littora rostris:
Semper honos quorum, nomen, laudesq; manento.
Ora beata Virûm, Mentésq; Camœna vetabit
Nostra mori, Patriam qui optata loquendo beârunt.
Præstat enim quantum per se Prudentia Dextræ;
Hos tantum, præ alijs, æternat gloria major,
Grandiloqui nostræ qui consuluere saluti.
Annon consilij Vis expers, robur & amens
Mole ruit propriâ? Cyclops succumbit Ulyssi.
Ergò hodieq; suos Amplissima concio Patrum
Ostendit Gedani Cicerones atq; Pericles:
Hic causasq; forum dicit Demosthenis ore:
Differit in Cathedris ubi non Chrysostomus unus;
Et divâ Ambrosios plureis audimus in Æde:
Ludorumq; sonant ubi pulpita Isocratis arte:

Neptu-

Neptuni- in Medio & Bacchi dum pauca lucrantūm
 Nunc (heu!) Mercurij tempus facundia fallit.
 Omnibus en HEROS jungit sese ille DISERTUS.
 Contigit in Ludis tenero Cui copia fandi:
 Mercurius sed eam Belga, atq; Minerva Batava
 Largiter auxerunt: Academica flumina abunde
 Post aluere alibi: donec fons limpidus amplō
 Hinc scatuīt anni: CARUS qui fluxit in Aulas;
 Principibus cœpitq; liquore, ut mella, placere.
 Quin Patriæ CARUS placeat; placeatq; venustæ
 Virgini Hic, antè Potens est quem mirata VIRAGO
 Charus ut in Sponsæ Vir nunc amplexibus hæret:
 Est olim patriâ sic CARUS in Urbe futurus
 Vel Cato, vel Cineas vel Agrippa MENENIUS alter.

II.

DISERTUS N' HIC CHARUS EROS?

Eleg:

Solverat ora loquens Juvenis vix (Sponsa fatetur)
 En jam tota fibras Ejus amore flagro.
 HIC NE DISERTUS Homo, an Deus est, qui incen-
 dere Corda
 Novit, ut ipse EROS? Sic mihi CHARUS EROS!

III.

HUC I HERES! CUR SORS DITANS.

Jamb: Dimetr:

SCHROEDERUS ut diutius
 Moratus est in Oris Remo-



Remotioribus, procul
A Patria suävi;
Sic sæpè eum Vis Enthea
Revocabat ad penates:

^{2.}
HUC I! rediç; protinus,
Viri inclyti legendus
Carissimus primò Gener;
Ex asse pòst futurus
HERES. Rogas, CUR? Te manet
DITANS Puella, SORSq;.

^{IV.}
HIC HERUS RES DOTIS CURANS.

Anapest.

EPicuri de grege magna procùm
Pars ut simulent Curios; agitant
Dionysia, clàm rament: & genio
Dum luxuriosius indulgent,
Patrimonia (vah!) sua dilapidant,
Cum dotibus amplis præproperè.
Non prodiit ex grege porcorum
Procus HIC; nec gurges erit rapidus;
Sed HERUS benè RES DOTIS CURANS.

^{V.}
HUC IS HERES DITANS RES, COR.

Phæuic:

HUC non Codrus egens, nec Irus aurò
Ditandus Soceri, procùm rapaces
Ex vulgo Harpyiæ velut, volâsti,

Sed

Sed DITANS HERUS ipse RES paternis
Nummis: ingenijq; dote magnâ
Oris divitiisq; COR Maritæ
HUC DITANS sapienter ac amoenè
IS non Codrus egens, nec Irus harpax,
IS non vultur hians, rapaxq; milvus.

VI.

EN ARRHIS, TEDIS CORUSCUS: H.

Troch.

QUI suâ virtute dignum
Ambiit Connubium

EN Hic ARRHIS à Puellâ

Traditis nunc aureis

Splendet; & TEDIS CORUSCUS

Nuptialibus nitet.

VII.

SIC TORUS CHARUS RENIDES: H.

Anacreon:

CUI contigit Maritus
Delirus, aut profanus,

Vinosus, & profusus,

Plagosus, & ferinus;

CUI contigit Marita

Vesana, vel dolosa,

Nimis licentiosa,

Nimis libidinosa,

Morosa, jurgiosa,

Rarò torus renidet:

Per.



Persæpè sed gemiscit;
Et lacrymis madescit.
Non contigit Maritus
Jam talis huic Maritæ;
Nec contigit Maritæ
Jam talis huic Marito;
Non ergò CHARUS illis
SIC ingemiscis unquam,
SIC lacrymis madescis:
Sed HIC TORUS politus
Scitissimè RENIDES;
Suavissimè RENIDES.

VIII.

HIC, EROS RIDENS, CURAS THUS.

Sapph:

HIC, EROS RIDENS, duo corda flammis
Dum tuis candent, adolere CURAS
THUS Deo gratum, pia vota, amoris
Igne perenni.

IX.

HIC CARIS HORTUS SERENDUS.

Choriamb:

Primis Conjugibus cum Paradisus (heu!)
Sit præclusus; ed non aditus patet
Jam nobis miseris: ergo SERENDUS est
HIC CARIS iterum Conjugibus recens
HORTUS, qui Paradisus vireat velut:
Hoc est, RES ut Herilis vigeat domi;
Nec non Publica Res frondeat indies;

Imò



Imò Ecclesia quò Justitiæ novis
Semper stirpibus hîc floreat optimè,

X.

HIC TRANSIS HERUS DECORUS.

Staz:

STipantur ut roseta sentibus densè :
Sic gaudium tori pericla sexcenta
Obsepium; quæ transeas, oportebit.
Sed tu piâ ac sapiente mente munitus,
HERUS DECORUS ut, Deo Fide Speq;
Nitendo, masculè & beatus HIC TRANSIS.

XI.

CHRISTIANUS SCHROEDERUS,
ANNA BENIGNA SCHENINGIA.

Anagr:

IGNESCUNT, ANNIS SAN' HIS HERUS AC HERA
BEN' IGNI. (CORDA

Héroico-Famb. Dimetr:

FRiget: anus grandæva; senex riget: ambo foveri:
Lucente vix queunt focò.
IGNESCUNT, ANNIS SANÈ HIS, HERUS AC HERA CORDA
BENÈ IGNI. amoris: intimi.

XII.

Die viel' Ehr- und Tugendreiche:

Zungfrau: Anna Benigna Scheningin /
Icho Braut.

*Werscht: Ich fang' / u. bringe waarn Segen; jaâ bîn
Nab in Not.*

Redet:

111



Redet, Ihren Hrn. Bräutigam gleichsam also an:

Leylich meiner manches Kind/ daß es lauter Segen
von den Eltern hab' ererbt; da es doch dagegen
eitel Fluch im Kasten hat: weil der Armen Blut/
Thran' und Süßzen mit drinn lige. Weg mit solchem:
Gut!

Ich auch dafür meinem Gott Lob an diesem Feste
meiner Ehr- und Freuden wil opfern/ (Obs schon Gäste
mithörn) daß Ich Segen gnug erst von Oben fang'
aufs Gebät; von Eltern auch Segen gnug erlang'.

Ich demnach/mein/Liebster/ Euch bringe waaren Segen:
Fang' auch Segen gnug bey Euch: Welchen Gott woll' hagen!
Der Euch Mir/und Mich Euch selbst schenckt biß an den Todt;
Jaa verschafft/ daß Ich Euch Nutz bin in mancher Noht.

Ao. 1653.

14. Julij. posttridie dominicae.

Piscationis Petri in sudore:

SCHOLASTICO.

JACOBUS ZETZKIUS, Scholae

Marianae Gedani Rector.

AD CLARISSIMUM DO- MINUM SPONSUM.

Iam satis indultum tetrica; Neonymphe, Minerva,
Qua solidum toties abstulit una diem.

Frugè Cleanthea dum pectoris obsersis aruum,

Et quondam Ingenio vivere posse cupis.

Jam satis exhaustum Pontag, Solog, perichi,

Dum patriis praefers tecta aliena focis.

Et

Et mores hominum varios cognoscere, & Urbes,
Quaę imitanda Tibi, qua fugienda capis.
Excipiet sperata tuos nunc pausa labores,
Et doctas ponet sedula dextra schedas.
Nunc Tibi firmatam devinciet anchora puppim,
Ne streperi metuat murmura rauca Noti:
Nunc blandę tempus dabitur geniale quieti,
Et desueta novus corda fovebit amor.
Corda fovebit amor, penitis Cytherea medullis
Quem fixum flabris ventilat usq; suis.
Auspicioq; Poli dabit Anna Benigna benigni
Se casti sociam, tempus in omne, tori.
Quam pudor & probitas, & grata decencia morum,
Ornant, & tenerę frontis & oris honos.
Quam dudum finxere exempla domestica ad unguem
Perfectum, & monitis instituere sacris.
Quę te præteriti jam non meminisse laboris,
Aut animum curis usq; perire sinet.
Felix, qui tali se dicere sorte beatum,
Et sic conjugii nectere vincla potest.
Quod madidis Titan nimborum flumine terris,
Purior æquoreis cum procul exit aquis,
Hoc tenerę præstat verno sub flore juventę,
Crede mihi, talis juncta puella Viro.
Mærorum maculas hæc scilicet eluit omnes,
Et jubet assiduã luce micare lares.

Suffi-



Sufficit hæc teneros Cælog, Solog, Quirites,
Fertilis, & vacuam non sinit esse domum.
Quæq; ministeriis hæc tempora dividit aptis,
Et facit ut stabili cuncta tenore fluant.
Utere Sole tuo, radiis melioribus ille
Dispellat sortis nubila, Sponse, mala.
Ille tuos hilarer grato splendore penates,
Ille thorum largâ fertilitate beet.

AD REVERENDUM DOMINUM

Sponsæ Parentem.

I Am, si quid memini, ter sexta revolvitur æstas,
Ut cœpi vestris inferre penatibus, Hospes
Exiguus, vel si non dedignaris, Amicus,
Vir Reverende, pedem, nec sustulit hætenus ullus
Illud Amicitia vinculum venerabile casus,
Sed durat, duretq; precor, dum Spiritus artus
Hos fovet, & flummas tentet superare rogales.
Heu! quoties tumidis crepuit mea pinus in undis
Interea? Quæ non conjuravere feroces
In miseri capitis pestem exitiumq; procella?
Quot mentem insani vegetam fregere labores?
Plurima seu spectes terrâq; mariq; pericla
Exatlata mihi, morbos, febresq; malignas,
Exilium, flammâs quibus occidit Ilion ingens,
Tristia junctorum mihi sanguine funera, Martis
Quæ rapuit Mortisq; furor, Patriamq; ruentem,
Atq; animum toties vel de lodice parandâ

Solli.



Sollicitum, nunquamq³ suum: seu munera pubis
Formandæ concessa mihi, scholicumq² laborem,
(Qua nec in immenso res infelicioꝝ Orbe est.)
Quem, quia Fata volunt, per tot toleramus aristas,
Pauperiemq² Bonæ Mentis plerumq³ Sororem,
Numina perpetuis quas deinxere catenis,
Et stabili dudum Ludi iunxere - Magistris
Connubio, sine dote tamen: seu cætera vitæ
Aspera, quæ centum vix dicere versibus ausim,
Et meminisse animus trepidat, luctuq² refugit.
Te quoq² Numen idem, quod dirigit omnia certis
Arbitriis, quamvis Te Sparta decentior ornet,
Et sacros inter Mystas numerere, fluantq²
Hactenus ex voto Tibi plurima; diuite quamvis
Cornu Te Domini benedictio larga coronet,
Et vegetam vegeto foveas in corpore mentem:
Sæpe dies atro plures signare lapillo
Fussit, & infaustis corrumpere gaudia curis,
Per quas mortali nunquam licet esse beato.
Nempe tori clemens dederat tria pignora casti,
Quæ poterant canos quondam oblectare Parentis,
Nomen & ad seros transmittere dulce nepotes.
Sed nihil heu! lætis fas quævenquam fidere rebus:
Ante diem, primoq² rudis sub flore luventa
Bina cadunt subito, magno Matrisq² Patrisq²
Cum luctu, tristi mortis sicilicet resecta.
Sic viola, insignis vernantis gloria terra,
Cum reliquas inter vixdum caput extulit herbas



Purpureum, & grato pingit sua prata colore,
Pollice virgineo primâ decerpitur horâ,
Prolixo damnans mœrentia gramina luctu.
Filia sola super - Tibi - erat, sed & illa Parentem
Linquens (auspiciis quæquam melioribus) orbem,
Transit in amplexus, nomenq; domumq; Mariti.
Et sic nullus adest post funera, quæ tamen opto
Sera velint Superi, tanti Tibi nominis hæres.

Sæpius hæc, velut ipse reor, tanguntq; premuntq;
Iuncta tuam tristi curarum pondere mentem.

Sed quid agas? Domini constans fuit ista voluntas:

Quæ Tibi, quæq; mihi non declinanda, sed ultrò
Arripienda fuit. Namq; hic discernere solus

Novit, quid nocuum, rebusve sit utile nostris,

Hic pro jucundis aptissima quæq; reponens,

Nunc, olim, quocunq; dabit se tempore rerum,

Latius auspiciis, meliori sorte beabit.

Quis potius rugas jam nunc exporrige frontis,

Hancq; aliasq; DEUS quas fortuna vorit, horam

Gratâ sume manu. Lux hæc Tibi reddet adempta,

Hæc iterum faciet Nati Te læta Parentem,

Hæc Tibi donabit generum, Natæq; maritum,

Eors & reddet avum, vernis redeuntibus auris,

Tot tristes largo compensans scœnore casus.

Quæis ego consuetum cunctis Feliciter addo.

AD EUNDEM

ISOTAUCTARIUM SCHOLASTICUM.

Silicet affulsit Tibi Lux, Neonymphe, benigna,
Iungitur & Veneris jam munere Nympha benigna.



Crede si fronti fas est mentiq; benigna
Hanc blandam invenies. Et ab omni parte benignam,
Tu quoq; nil renuis, velut auguror, Anna Benigna,
Et tibi gratavis dudum de sorte benignâ.
Lanificæ, voveo, neclant prolixa benignâ
Stamina Conjugibus; Charitum pia turba benignarum
Assistat thalamis; auris locus usq; benignis
Sit sortis dextræ; multas numerate benignas
Æstates juncti. O noctes properate benigna!
Corculaq; ut caleant flammis date blanda benignis:
Sic rectè tua declinabitur Anna Benigna.

Fridericus Wagnerus, Scholæ
Marianæ ConR.

LUSUS PARAGRAMMATICUS.

Ex Cabalâ Triangularium.

Dominus Christianus Schrederus, Geda-
nensis, Borusfus. Anna Benigna Scheningin.

A. D. (1653.)

Prodit. 5689.

Quid Schredere fiet sese præstare benignum,
Hoc docet exemplo, Sponsa Benigna, tuo.

Prodit. 5689.

DANIEL JACOBI.

5689







44.e

80

NOVIS MARITIS
DN. CHRISTIANO SCHRÖDERO
ET
ANNÆ BENIGNÆ SCHENINGIÆ
E
MONTE-REGIO
FAUTORES ET AMICI.

